

Christoph Martin Burchard

**Rector Academiæ Rostochiensis, Christoph. Martinus Burchardus, Med. Doct. ...  
Ad Sacra Genethliaca In Memoriam Redemptoris Nostri miraculosa conceptione  
ex Illibata Virgine pronati, pio ac devoto pectore celebranda Cives Academicos  
monet ac hortatur**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1720?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003997228>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1720. Weihn.

~~A-1256. 160.~~

RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
CHRISTOPH. MARTI-  
NUS BURCHARDUS,  
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.

M. 1720

AD.  
**SACRA GENETH-**  
**LIACA,**

IN MEMORIAM

**REDEMPTO**  
**RIS NOSTRI,**

miraculosa conceptione

<sup>ex</sup>  
**ILLIBATA VIRGINE**

pronati,

*pio ac devoto pectore celebranda*

**CIVES ACADEMICOS**  
monet ac hortatur.

---

ROSTOCHII, Typis Joh. Wepplingi, SERENISS. PRINC.,  
& ACAD. Typographi.

M. 1720  
M. 1756 165





## Nvitamus Vos, Cives Aca-

demici , ad Sacra Natalitia Salvatoris nostri , qvi caro factus est , & humanam naturam induit , ut omnium misereretur ; *Geāθēnē G.* , DEus & Homo in eadē Persona , ut & indulgere nostris imbecillitatibus eo melius posset , & opem eo efficacius ferre indigentibus . Hoc mysterii pl-

num connubium omnem superat mortalium sapientiam , qvod rationis trutina explorare velle , idem foret ac cœlum digitis complecti , aut integrum exhaustire mare . Verum ea est plerorumque hominum sciendi cupido , ut non contenti sint scire ,

*Quod res sit* , nisi eam secundū qvatuor causarum genera cognitam habeant . Quemadmodum autem in rebus naturalibus rō ḏn sufficere Aristoteles jam olim indicavit , si ad rō dīn pertingere non liceat , sic multo magis in mysteriis Fidei acqviescendum foret autoritati S. Scripturæ , imprimis cum hæc ipsa jubeat rationem sub obseqvio fidei captivam detinere , ne dūm in immensam sapientiæ Divinæ abyssum nos nimium demittere studemus in præcipitia ruamus , spissis errorum involvatur tenebris , ac æternum pereamus . Quid enim utilitatis affert disceptare , an Divina Christi Natura fuerit loco animæ ? an potius Animam rationalem CHristus habuerit ? unde hæc producta sit ? an Corpus Christi jam ante nativitatem præexistenterit ? & quæ sunt alia hujusmodi . Certe qui in hæc curiosius inquirunt , similes mihi videntur noctuis , quæ interdiu caligant , celo vero sereno & Sole aprico cœcutiunt penitus : Nam cum mortales ne qvidem ea , qvæ in naturalibus fiunt , & quotidie obvia sunt capiant , qui poterunt divina scrutari , & exhaustire mysteria ? Fuisse autem in Salvatore nostro , præter Divinam Naturam , Animam rationalem , S. Literæ expressis verbis indicant , dum verus DEus & verus homo dicuntur : id qvod ipse etiā de se toties testatur , Filium hominis

nis se dicendo. Nudum corpus autem naturam huma-  
nam non absolvit , sed requiritur , Anima rationalis, cum  
Corpore Organico conjuncta , id est , tali , quod operationi-  
bus animæ respondet. Id quod Novatores quidam etiam ad-  
vertant , qui hominis formam & naturam in nuda anima rati-  
onali quærunt. Si enim hæc sententia vera ? seqveretur ,  
quod Spiritus immaterialis sive rationalis corpori canis , mu-  
scæ , aut pediculi inditus , foret Homo : id qvod non conce-  
dent spero , sicut quasi pro aris ac focis propugnant , animal-  
cula quævis , olim bruta ac insecta dicta , esse rationalia , &  
Spiritu gaudere immateriali , ita ut hodie apud hujus senten-  
tiæ Patronos admodum vacillet veterum definitio , *Hominem*  
*esse animal rationale.* Sed quo prolabimur § id certum , & apud  
omnes saniori Philosophia imbutos evictum , Hominis natu-  
ram consistere in copula spiritus immaterialis cum machina  
corporis conveniente. Si itaque Christus Verus fuit Homo,  
ut S. Literæ loqvuntur , dubium nullum superesse potest , eum  
Anima rationali fuisse præditum. Unde autem ortum suum  
ista habuerit , nemo unquam demonstratum dabit , quamdiu  
adhuc in obscurò latet , qva ratione animæ in generationis ne-  
gotio à parentibus in liberos propagantur , an per traducem-  
id fiat , an novam creationem , an , qvo Celeb. Clericus incli-  
nat , à condito mundo jam præexistant ? Quamcunque enim  
elegeris sententiam , summis implicaberis difficultatibus. Mi-  
rum vero ! tantam esse Mentis nostræ caliginem , ut ipia , quæ  
est fons ac principium omnis nostræ cognitionis ac ratiocinii ,  
suam nesciat originem. Sed ita in plerisq; aliis dubius animus  
perstat , de quibus nullum conceditur sensuum testimonium.  
Itaque liberalis magis indolis est , in talibus profiteri suam igno-  
rantiam , quam inanibus figmentis tyronum pascere animos , ac  
futili & garrula sapientia reddere inflatos. Verum non de  
Anima tantum Salvatoris nostri , sed corpore etiam variæ agi-  
tantur controversiæ: Sic sunt qui à condito mundo id ipsum  
præexistisse volunt § cui sententiæ potissimum accedunt Phi-  
losophi.

losophiæ Mechanicæ addicti , & propterea omnes apparitio-  
nes , qvæ in Vet. Testamento occurunt Christo adscribunt,  
dum Angelis potestatem denegant corpus assumere , argumen-  
to ex mechanicis principiis deducto : *Quod scilicet omnis corporum*  
*motus fiat per contactum. Spiritus autem immateriales non habere partes*  
*extra partes ; E. per contactum agere non posse.* Quo ipso tamen suam  
in Logicis inscitiam produnt, dum *aristoteli faciunt esse animo yero*,  
& ex corporum natura ac proprietatibus ad spiritus argumen-  
tantur. Posset enim, si recte rationem instituere vellent, erro-  
ris ipsos convincere , ipsa Anima rationalis, quæ corpus suum  
movet , & ex arbitrio regit. Qui vero & hoc cum Malebran-  
chio , ac Celeb. Sturmio negant, voluntve , animam nostram  
cogitationibus suis nūl nisi occasionem DEO præbere, ut iste im-  
mediate corpus nostrum moveat , vi Legis , quam sibi ipsi à  
Condito Mundo præscripserit, isti non considerant , se senten-  
tiam suam sponte arguere vanitatis , dum DEO potestatem mo-  
vendi corpora concedunt. *Si enim id, quod non habet partes, extra*  
*partes, corpora mouere nequit?* nec ipse DEus id poterit. Quæ  
conclusio , si ipsis absona videtur, necessum est fateantur su-  
um errorem , qvoniam immediate ex ipsorum medio termino  
fluit. Itaq; DEus & Spiritus Immateriales, adeoq; & Anima ra-  
tionalis corpora movent, non equidem per contactum, sive phy-  
sice aut mechanice , sed longe alia nebiliore , & nobis inco-  
gnita ratione , ita ut non sequatur apparitiones omnes in Veteri  
Testamento ipsum instituisse Salvatorem nostrum. Præterea  
apparitio trium Virorum Abrahamo facta a perteſſime ostendit,  
falsum esse , quod isti fingunt : Christus enim unicum obtinet  
corpus , unde itaque duo reliqua ? Quid , quod Dominus ex-  
pressis verbis à duobus angelis discernitur ? Hi enim Sodomam  
properabant , cum iste interim apud Abrahamum commo-  
raretur , ipsiq; manifestaret futurum urbium Sodomiticarum  
exitium. Qui vero porro hæc sententia stare potest cum divi-  
na promissione , Meſſiam ex Semine Abrahami , ac postea  
Davidis proditum ? si corpus ipsius jam antea præexistit ?

Conci-

Concidunt itaqvē hæc omnia, æqve ac consequentiæ exinde deductæ : Corpus Christi per uterum Mariæ transiisse tantum, ac peperisse eam utero clauso : Repugnant hæc S. Scripturæ autoritatî multis modis , qvæ ut in omnibus , qvæ ad salutem nostram ac Fidem salvificam pertinent, salva perficit, nostrum omnium interest. Si enim transitum tantum per uterum Mariæ instituit Christus, non opus fuisset novem mensum spatio. Mariam enim vere gravidam fuisse, & spatiū conservatum explexisse, vel ex alloquio Elisabethæ constat, quippe qvæ Spiritus Sancti impulit excitata, eam vocat Matrem Domini. Qui autem Matrem appellare potuisset, nisi filium sub corde gessisset. Præterea in Maria etiam conservata gravidarum signa adfuisse, ex ipso apparet rumore , qui & ipsum permovebat Josephum , ut eam deserere animum induceret. Tam facilis, Cives Academicci, mentis humanæ est lapsus , si extra Sphærani suam se evehit , & ultra, quam par est , sapere studet. Ex his autem , nisi fallor satis patet , corpus Salvatoris nostri in utero denuo Mariæ fuisse productum, ibidemque, ex sanguine materno, æq; ac reliqui homines sua habuisse incrementa, ad justum usq; pariendi tempus, ita, ut circa hoc nutritionis & augmentatio- nis negotium omnia secundum conservetas Naturæ Leges sint gesta. Verum qvod ipsam Conceptionem attinet, illa omnino miraculi est plena , & penitus ab ordine naturæ recedit, neqve ullum humanæ mentis acumen eo usque penetrat, ut eam revere- lare possit: imprimis cum ne quidem constet, quomodo naturalis conceptio, per maris cum femina conservudinem , se habeat, aut' qua ratione primordium animalium producatur. Quæ enim postmodum, formato jam corpusculo , sequitur partium omnium extensio & majus incrementum , per successivam particularum nutriciū appositionem , sive potius intus suscep- tione fieri, nemo est qui dubitet. Verum prima foetus stami- na quomodo producantur , & rite formentur , nondum inte naturæ Scrutatores convenit, quæque hac de re sententia prostant.

stant, non carent suis dubiis, nec à contradictionis telis sunt immunes. Licet enim recentiorum industria constet, in femellis adesse ovaria, & quodlibet generari ex ovulo, non tamen, quod primam fœtus formationem attinet, plus veteribus sapiimus. Qui enim Philosophiæ Mechanicæ nimium, quam par est, student, & perfectam delineationem fœtus in ovulo adesse persuasum volunt, ita ut post imprægnationem nil aliud accedit, quam partium nuda extensio, erroris statim convincuntur, quod ex congressu diversi generis animalium non pullus pronascitur matri similis, ipsiusque naturæ respondens, (quod ex illorum hypothesi necessum foret,) sed aliud longe animal, ex matre aliquid, aliquid ex patre obtinens, ut e.g. Mulus. Taceo fœtus monstrosos, ex depravata matris imaginatione productos, quippe qui aperte evincunt fœtum in ovulo successive formari: Si autem prætendunt, tales jam præexistere, antequam vitiosam imaginationem contrahat mater, nimium sibi credi postulant. Præterea necessum est, ut aliquando in ovulis femellarum primordium sumant corpuscula ista fœtuum minima, & tum pristinum denuo occurrit dubium, ex qua causa, quando & quomodo tormentur; aut ut eo tandem deviant, in Ovario Evæ Matris adfuisse corpuscula & delineationes totius generis humani, quod absurdum. Effugium equidem hic querit Altorffinæ Academiæ quondam Ornamentum *Celeb. Sturmius*, dicendo, corpuscula, sive primordia seminalia omnium animalium, ac totius generis humani, jam à condito exstare mundo, & instar atomorum per aëra volitare: attrahi etiam cum aëre hæc ipsa, & per corpora quævis promiscue ferri, ac toties circulari, donec commodum inveniant ovarium, suæ naturæ ac conformatio aptum. Si vero non inventiant, ut in corpore masculino, aut in diversi generis animalibus, tum per poros cutaneos, aut alia corporis emunctoria denuo hæc ipsa excludi, ut pristinæ restituantur libertati. Sed hæc sunt Mathematicorum fata, qui cum in suis disciplinis

sciplinis nil admittant, nisi quod ex principiis firmis ac demon-  
strativis fluit, sic cum falcam in alienam messem immittunt,  
nec quælibet ad numeros ac mensuras redigere possunt  
ad fictiones mentis sunt proclives, ut habeant ex quibus por-  
ro demonstrationis ducant filum. Lewenhoecky sententia, quæ  
hominis primordium vermem dicit, indigna est refutatione,  
nec quantum sciam, sectatores habuit. Tantam autem ver-  
mum copiam microscopiorum usu in semine masculo observari  
gloriatur, ut in particula seminis canini, quæ vix pulvilli  
minimi magnitudinem æquabat, plus quam decem millena,  
millia vermium numeraverit. Hic autem incredibilis nume-  
rus, qui sine confusione institui nequit, satis evinicit, Celeber-  
rimum Virum nimium hic induluisse imaginationi. In quem  
finem enim tantus vermium numerus utero foret immitten-  
tendus? imprimis cum ipse afferat, vermiculos istos mutu-  
is cædibus in se invicem sœvire, donec, omnibus internecio-  
ne deletis, unus restet vîtor, hominis futuri gloriosum pri-  
mordium? Supereft sententia, quæ spiritum quendam Plasticum  
afferit, qui in congressu maris cum temina ad ovulum transla-  
tus illie in molle & gelatinosa materia prima ducat stamina,  
donec per affluxum sanguinis plus materia afferatur, in corpu-  
sculi incrementum ac partium justum robur. Est autem hæc  
omnium, ut mihi quidem videtur maxime probabilis, quoniam  
plerisque phænomenis, quæ circa generationis negotium oc-  
currunt, solvendis est idonea: Verum, cum nec ista contra-  
dicentium pruritum effugere possit, nec ipsi hujus sententiae Pa-  
tronii inter se convenient, an immaterialis sit Spiritus iste, an  
materialis, facile pater, generationis negotium in Democriti  
puteo latere, & forte inter ea esse, quæ Natura arcano involu-  
cro in perpetuum vult obvelata, ita ut ad ejus abdita mentis  
oculis nunquam pateat accessus. Si hoc itaque nobis non licet,  
multo minus de mysteriis plena Divæ Matris conceptione quic-  
quam certitudinis inveniet mentis humanæ imbecillitas. Ab-  
stinendum

tinendum itaque foret ab omnibus locutionibus ; sententijs  
que, quæ animum in devia rapere, & sinistram opinionem in-  
spirare possunt. Potius omnes, qui Sacrarum Literarum au-  
toritatem sancte veneramur, in istis acquiescimus, quæ Sum-  
mum Numen nobis revelata voluit, nil detrabendo ipsis, vel te-  
mere apponendo. Recte enim credentibus sufficere potest,  
DEum miraculo ex Virgine illibata partu suum nobis conces-  
sisse Filium, ut hujus interventu perditos mortales sibi adopta-  
ret, & cœlestis hæreditatis redderet participes. Cujus miseri-  
cordiæ, & infinitæ bonitatis exemplum ut nulla temporum ob-  
livio deleret, à Veneranda Antiquitate, & primis Ecclesiæ  
Fundatoribus jure est prospectum, institutis Genethliacis Sacris,  
quibus memoriam Salvatoris, ex Virgine immaculata pronati,  
pio recolamus pectore, & justas grates persolvamus. Qvod  
Festum cum crastina luce, temporum revoluto ordine cele-  
brandum denuo sit, Cives Academicos, quotquot nostrum or-  
nant Athenæum, & liberalis indolis sunt, hortamur & ob-  
testamur ; immorigeris vero, pro ea qua fruimur autoritate,  
imperamus ac jubemus, ut non tantum abstineant à comessa-  
tionibus, digladiationibus, aliisque astibus, humanarum lite-  
rarum Cultore indignis, ac indecoris : Sed hoc potius agant,  
ut frequentes cœtibus sacris intersint, & pio ac devoto animo  
Summi Numinis benicitatem, in Filio suo Unigeni-  
to nobis concessam, agnoscant ac serio  
venerentur.

*P. P. die XXIV. Decembris  
Anni MDCCXX.*








Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1003997228/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003997228/phys_0012)

DFG

sciplinis nil admittant, nisi qvod ex principiis  
 strativis fluit, sic cum falcem in alienam me-  
 nec qvælibet ad numeros ac mensuras redi-  
 ad fictiones mentis flunt proclives, ut habeant  
 ro demonstrationis ducant filum. Lewenhoë  
 hominis primordium vermem dicit, indigna-  
 nec quantum sciam, sectatores habuit. Tan-  
 mum copiam microscopiorum usu in semine ri-  
 gloriatur, ut in particulari seminis canini, q.  
 minimi magnitudinem æquabat, plus quam c.  
 millia vermium numeraverit. Hic autem in-  
 rus, qui sine confusione institui nequit, satis  
 rimum Virum nimium hic indulsisse imagina-  
 finem enim tantus vermium numerus utero-  
 tendus? imprimis cum ipse afferat, vermicu-  
 is cædibus in se invicem sœvire, donec, omni-  
 ne deletis, unus restet viator, hominis futuri  
 mordium? Supereft sententia, quæ Spiritum que-  
 afferit, qui in congressu maris cum termina ad  
 tus illic in molli & gelatinosa materia prima  
 donec per affluxum sanguinis plus materiaæ af-  
 sculi incrementum ac partium justum robur,  
 omnium, ut mihi quidem videtur maxime pro-  
 plerisque phænomenis, quæ circa generationi  
 currunt, solvendis est idonea: Verum, cum  
 dicentium pruritum effugere possit, nec ipsi hu-  
 troni inter se convenient, an immaterialis sit S.  
 materialis, facile patet, generationis negotium  
 puto latere, & forte inter ea esse, qvæ Natura  
 cro in perpetuum vult obvelata, ita ut ad eju-  
 oculis nunquam pateat accessus. Si hoc itaque  
 multo minus de mysterii plena Divæ Matris co-  
 quam certitudinis inveniet mentis humanæ im-



mon,  
 ttunt,  
 t t  
 s por-  
 , qva-  
 ione,  
 ver-  
 rvari  
 isculi-  
 na,,  
 ume-  
 eber-  
 juem  
 tten-  
 utu-  
 ecio-  
 pri-  
 cum-  
 nsla-  
 ina,  
 rpu-  
 hæc  
 iam  
 n oc-  
 tra-  
 e Pa-  
 , an  
 criti-  
 volu-  
 ntis  
 icet,  
 uic-  
 Ab-  
 um

○.11

Scan Reference Chart TE263 Serial No.

Image Engineering